

EPISTULA LEONINA

CCXXIV

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCXXI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM VICESIMAM QUARTAM (224) !

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA	02-03
AUDIATUR ET ALTERA PARS	04
ANNUNTIATIO ALF	05
SINGULARE CERTAMEN (<i>Conrad/Morente</i>).....	06-10
CUM BIDENIO IN BARATHRUM (<i>Mross/Leo Latinus</i>).....	11-12
ECCE DONALDUS ATQUE MELANIA	13
ROGERIUS KÖPPEL QUID SENTIAT DE DONALDO TRUMP	14-22
CHRONOGRAMMA PATRIS HENRICI DOUTEIL BRASILIENSIS	23
CHRONOGRAMMA IOHANNIS DEMMING ANTI-TRUMPIANUM	24
EPISTULA LEONIS LATINI AD CHRONOGRAPHUM SCRIPTA	25-26.
LIBRI LEONIS LATINI	27-30

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,


haec Epistula Leonina ducentesima vicesima quarta proximaque futura dedicatae sunt Donaldio Trumpio. Iam video vultum tui indignantissimè contractum quaerentis: “Trumpione? Num loqueris de isto barbaro qui – Deo gratias ! – nunc tandem Capitolium reliquit? Nonne iste indignior est, quam ut Latinè celebretur?”

“St! Cara amica, care amice, cave, ne iudices nimis superficialiter! Exspecta paulisper. His in Epistulis Leoninis multa et varia invenies scripta de Donaldio praeside omnium diffamatissimo. Animadvertes autem eundem famâ suâ multo meliorem esse. Sunt nonnulli qui credant Donaldum fuisse praesidem Americae – haud minus benè meritum Roberto Kennedy Ronaldoque Reagan. Certè sunt plures, qui eum accusent et condemnent immodicè et immisericorditer. Sed memento alios esse censors aequos, alios calumniatores iniquissimos. Denique recordare verba Livii: »Ut plerumque fit, maior pars meliorem vicit«. Non dubito quin iam sescenties lêgeris et audiveris Donaldum esse monstrum horrendum. Ergo nunc tandem lege, quid dicant arbitri iustiores. Tolle lege mirare: At etiamsi laudatoribus non assensus eris, rogo te, ne desinas mihi favere. Nam saltim in nostris Epistulis Leoninis utinam nobis remaneat libertas sententiae dicendae.

**AUDIATUR ET ALTERA PARS! IN DUBIO PRO REO!
VICTRIX CAUSA DEIS PLACUIT ET VICTA CATONI.**

Medullitus Te salutat

**Dr. Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Dominicâ, 24. m.Ian. a.2021**



AUDIATUR ET ALTERA PARS !

IN DUBIO PRO REO

**VICTRIX CAUSA DEIS PLACUIT
ET VICTA CATONI**

ANNUNTIATIO ALF

ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

Theodericus Sacré sodalibus optimis s.d.p. De orationibus menstruis in Academia nostra per rete mundanum habendis fuit antea sermo. Acroasis prima exeunte hoc mense fiet, altera exeunte mense Februario:

1. (T. Sacré) ‘De *Ephemeridibus statistico-politicis* (1804) sive de nuntiis Latinis ex urbe Posonio emissis’: die 30 m. Ianuarii hora (Bruxellensi) 17

2. (C. Laes) ‘De *Rosa Melitensi* (1908-1910) sive de periodico quodam Latino’: die 27 m. Februarii hora (Bruxellensi) 17


Ceterum conventiculum nostrum ‘de morbis et eorum medelis’ celebrabitur die 13 m. Martii hora (Bruxellensi) 15; prodibunt oratores circiter sex.

Ad singula haec incepta singuli universi invitabimini a Nicolao De Mico, sodali nostro, qui paucis ante diebus ad vos mittet nexus (zoomicos), quibus usi ipsi rebus agendis interesse valeatis.

Curate ut quam optime valeatis !

...

SINGVLARE CERTAMEN (I)



FABVLA ROMANICA
AB IOSEPHO CONRAD SCRIPTA
C.T. The duel
In linguam latinam ex anglicâ convertit
Franciscus X.

Mon, 02 Nov 2020 19 :20 :30 +0100

Xaverius caro Nicolao s. d.

Hic sunt duo capitula "Singularis certaminis", quae iam verti.

In ultimis paginis adiunxi glossarium verborum hodiernorum.

Noli festinare, quaeso. Scio tibi multa facienda esse.

Maximas gratias tibi ago!

Cura ut valeas,

Xaverius

CAPVT I

Napoleoni I, cuius cursus honorum similis fuit singulari certamini cum totâ Europâ faciendo, displicebant singularia certamina, quae fiebant inter exercitûs officarios. Magnus imperator cum non esset ensipotens, mores maiorum parum observabat.

Tamen de quodam singulari certamine narratio, quae in exercitu facta est fabulosa, pervadit litteras imperialium bellorum heroicas. Commilitonibus mirantibus et admirantibus duo officarii (tamquam insani artifices conantes aurum deaurare aut liliu tingere) per universalis caedis annos privatam pugnam continuaverunt. Equitum tribuni erant, et valdê idoneum videtur quod iidem officio fungebantur unâ cum illis animalibus animosis sed lascivis, quae viros ferunt in bellum. Vix enim cogitari potest verbi gratiâ huius fabulae heroes esse duos tribunos peditum, quorum imaginatio multis itineribus pedestribus perdomatur et virtus necessariê est laboriosior. Ne quid dicamus de tormentariis aut munitoribus, quorum mentes nutrimento matheseos conservantur imperturbabiles.

Nomina duobus officariis fuerunt *Feraudus* et *Hubertus*, qui in singulis husarorum regimentis succenturiones erant.

Feraudus in castris militari munere fungebatur, sed fortuna succenturionem Hubertum ut apparitorum tribunum ad equitatûs praefectum adiunxerat. Quod Argentorati accidebat, et in hõc grato gravique praesidio brevi pacis intervallo perfruebantur.

Quamquam ambo bellicosissimi erant, eodem fruebantur; pax enim erat in quâ ferrum acuebatur, arma purgabantur, castrensis animus delectabatur et militaris fama nullum detrimentum accipiebat, quandoquidem nemo eius pacis sinceritati aut diuturnitati credebatur.

Illis temporibus, tam inclinatis ad militare otium iustê aestimandum, succenturio Hubertus deambulans post meridiem quietâ viâ alacris suburbii succenturionis Feraudi hospitium adiit, in privatâ vetulae virginis domo situm, quae posticum hortum habebat.

Vt primum is fores pulsavit, iuvenis ancilla veste Alsatianâ induta apparuit. Succenturio Hubertus, cuius animus rerum pulchritudine eximiê commovebatur, colore puellae suavi longisquae ciliis ante procerum officarium modestê submissis tam suaviter affectus est, ut vultûs sui gravitas frigida et severa statim evanesceret. Is simul

animadvertit puellam portare super brachium caeruleas husari bracas rubrâ virgâ depictas.

“Estne hîc succenturio Feraudus?” benevolo animo rogavit.

“Minimê, bone vir! Ille primâ diei horâ profectus est.”

Pulchra ancilla ianuam claudere conata est. Succenturio Hubertus huic motui placidâ firmitate resistens atriolum intravit calcaribus tinnientibus.

“Agedum, puellula! An mihi dicis illum e primâ diei horâ domum non revenisse?”

Haec dicens, succenturio Hubertus sine caerimonia aperuit ostium cubiculi tam commodê et mundê dispositi, ut forma caligae et vestes militares et arma ei persuaderent illud cubiculum succenturionis Feraudi esse. Vidit etiam succenturionem Feraudum domi non esse. Verax ancilla eum secuta erat, et candidos oculos ad eius faciem sustulit.

“Mmm...” Succenturio Hubertus spe valdê deceptus murmuravit, quia omnia loca, in quibus husarorum succenturio post meridiem inveniebatur, iam perlustraverat.

“Ille enim profectus est. Scisne, puellula, cur primâ diei horâ exierit?”

“Minimê” ea rapidê respondit. “Proximâ nocte domum sêro vênit, et stertuit. Eum audivi ultimâ noctis horâ surgentem. Tunc obsoletissimâ veste militari indutus profectus est. Ad suum officium praestandum, ut opinor.”

“Suumne officium ? Minimê !” clamavit succenturio Hubertus. “Meae deliciae, nonne scis eum tam maturê existiisse, ut cum togato singulari certamine pugnaret?”

Ea autem nuntium audivit ne ullum quidem nigrum cilium movens. Manifestum erat succenturionis Feraudi facinora plerumque irreprehensibilia esse. Ea solum parvo momento muta admiratione oculos sustulit, et succenturio Hubertus ex illâ apathiâ conclusit eam succenturionem Feraudum vidisse post primam diei horam. Cubiculum circumspexit.

“Age!” is dixit secretâ cum familiaritate quaerere pergens. “Nonne ille nunc alio loco domûs est?”

Ea abnuit.

“Tanto peius!” Succenturio Hubertus sollicitâ persuasione perrexit.

“At ille domi adfuit ante meridiem”.

Tunc pulchra ancilla leviter annuit.

“Ille adfuit !” clamavit succenturio Hubertus. “Iterumne profectus est ? Cur ? An introrsum placidê manere nequibat ? Quam amens ! Cara mea puellula...”

Genuinâ benevolentîâ et forti militaris contubernii sensu exaucta est succenturionis Huberti perspicacitas. Is voce blandiore voce loquens, cum husari bracas de puellae brachio pendentes conspiceret, confûgit ad studium, quo ancilla fovebat succenturionis Feraudi commodum felicitatemque. Nunc Hubertus quaesivit instanter atque persuasoriê. Qui oculis benevolis et pulchris usus est cum successu optimo. Eiusdem viri anxia cupiditas succenturionem Feraudum in eiusdem salutem quam maturrimê inveniendi puellae loquendi invitae tam sincera visa est, ut eidem tandem persuaderet. Ea, eheu, nihil habuit quod diceret. Succenturio Feraudus paulo ante quintam horam domum redierat, cubiculum suum protinus intraverat, et lecto incubuerat ad somnum reficiendum. Eum stertentem maiore voce quam antea usque ad tertiam horam postmeridianam audiverat. Deinde ille surrexerat, optimâ veste militari indutâ profectus erat. Ancilla scivit nihil amplius.

GLOSSARIUM (Anglice, Hispanice, Catalane)

CAPVT I

- apparitorum tribunus, -i (m.):** batman officer, oficial de ordenanza, oficial d'ordenança
Argentoratium, -i (n.): Strasbourg, Estrasburgo, Estrasburg (*oppidum in Francia*)
chiliarchus, -i (m.): colonel, coronel, coronel
dolmania vestis, -is (f.): dolman, dolmán, dølman (*hussarorum iacca e Turcia oriunda*)
ensipotens, -ntis (m.): swashbuckler, espadachín, espadatxí
equitum tribunus, -i (m.): officer of cavalry, oficial de caballería, oficial de cavalleria
Francogallicus, -a, -um: french, francés, francès
Gasconicus, -i (m.): Gascon, gascón, gascó
***husarus, -i (m.):** hussar, húsar, hússar
mays (maydis f.): corn, maíz, blat de moro
munitor, -oris (m.): engineer of army, ingeniero militar, enginyer militar
Napoleo, -onis (m.): Napoleon, Napoleón, Napoleó
nassiterna, -ae (f.): watering-pot, regadera, regadora
officiarius, -i (m.): officer, oficial, oficial
pedeplana, -orum (n. pl.): ground floor, planta baja, planta baixa
peditum tribunus, -i (m.): officer of infantry, oficial de infantería, oficial d'infanteria
praefectus, -i (m.) equitatus: general of cavalry, general de caballería, general de cavalleria
praetorii tribunus, -i (m.): staff-officer, oficial del Estado Mayor, oficial de l'Estat Major
Promus, -i (m.): butler, mayordomo, majordom
rhedarius, -i (m.): coachman, cochero, cotxer
soccus, -i (m.) levigatus: low satin shoe, zapato de raso de tacones bajos, sabata de ras sense talons
succenturio, -onis (m.): lieutenant, teniente, tinent

cfr opusculum Iosephi Conrad originale

<http://www.online-literature.com/conrad/3123/>

The Duel. A Military Tale

cfr cinema, quod a.1977 confectum est a scênóthetâ *Ridley Scott*

<https://www.youtube.com/watch?v=YOVaEMs0HL8>

The duellists (1977) - first duel

FABULA
C.T. *The Duel*
QUAM SCRIPSIT
IOSEPHUS CONRAD
(1857-1924)
IN LATINUM CONVERSA EST
A FRANCISCO XAVIERO MORENTE
CATALANUS

(Altera pars sequetur)

CUM BIDENIO IN BARATHRUM

d.21. m.Ian. a.2021 scripsit Michael Mross, Latinê reddidit Leo Latinus.



<https://www.mmnews.de/politik/158498-usa-mit-biden-in-den-abgrund>

Diurnarii Germani o quam perversê calumniantur Trumpio, Bidenium deificant! At ventura est dies computandi. Trumpius multa assecutus est. Quae nunc destruuntur.

»In Civitatibus Unitis ipso sub turbocapitalistâ (*i.e. Donald Trump, adn. Interpretis*) deminuta est inaequalitas hominum. Usque ad pandemiae eruptionem condicio nigritanorum, Latino-Hispanicorum, hominum pauperum melior facta est. Quare?«

His verbis ipsi conscribillatores Speculi Hammaburgensis non possunt, quin (sub cancellis pecuniae solvendae) concedant condicionem vivendi Americanorum strati inferioris aetate Trumpianâ factam esse meliorem¹. Specularii lectorum in Trumpium instigatores iubilant de munere a Bidenio surrepto. Animi diurnariorum Germaniae Merkelianorum relaxantur.

Dubium est, num sub Bidenio sene decrepito omnia futura sint meliora. Trumpius multa assecutus est, ipsis in rebus Sinensibus, etiam in aliis Civitates Americae Unitae Donald ducente prosperê

¹ SPIEGEL (Bezahlshranke): [Wie Amerikas Unterschicht in der Trump-Ära profitierte](https://www.spiegel.de/wirtschaft/soziales/gehaltswachstum-in-den-usa-donald-trumps-unheimlicher-unterschicht-boom-a-dbfaed4c-94f8-48a1-af0f-f1a001636969)
<https://www.spiegel.de/wirtschaft/soziales/gehaltswachstum-in-den-usa-donald-trumps-unheimlicher-unterschicht-boom-a-dbfaed4c-94f8-48a1-af0f-f1a001636969>

processerunt. Non solum in bursis, sed etiam in strato hominum inferiore America melius processit, quam ut hoc infiteantur ipsi Specularii. Ne hoc legant nimis multi, iidem successum Trumpii prosperum occultant sub cancellis pecuniae solvendae. At quis adhuc est, qui subnotet Speculum Hammaburgense ?

Nescio an mox evasurus sit fucus vultuum *Iosephi Biden et Kamalae Harris* vicepraesidentissae, quae subridentes perfectê personam gerunt thelobonam¹, et apparitura sit rerum veritas asperrima. Fortasse hoc similiter fiet ac factum est *Baracco Obamâ* praesidente, quo gesta sunt bella. Quadam cum Fortunae ironiâ eidem iam in antecessum donatum erat praemium pacis Nobelianum. Quod praemium iustê et merito attribuendum esset *Donaldo Trump!*

Iosephus autem Bidenius istiusque grapheocratae² sinistro-prasini³ Americam more politicê correcto ducent in barathrum. Omnium autem primi istis applaudent Germaniae politici atque diurnarii Merkeliani. Ea quae *Angela Merkel* assequitur in Germaniâ, in Civitatibus Unitis perficiet *Iosephus Bidenius*.

Anni proximi erunt amari.

HEREDIUM TRUMPII

A BIDENIO DESTRUI

DIXIT

MICHAEL MROSS

LATINE REDDIDIT

LEO LATINUS

¹ homo *thelobonus i.q. theod. *Gutmensch*. angl. politically hyper-correct, „good-mind“, do-gooder, goody two-shoes, goody-goody, starry eyed idealist. ital. buonista. - *thelo-bonus cfr thelo-sapiens, thelo-dives. cfr <http://ducange.enc.sorbonne.fr/THELOSAPIENS>, “Qui sapiens videri vult, *theloi*. Utitur pariter S. Augustinus Epist. 59”. AUG.epist.59: sic et vulgo dicitur, qui divitem affectat **thelodives**, et qui sapientem **thelosapiens**.

² *grapheocratês, -ae m. theod. *Bürokrat*.

³ *sinistro-prâsinus, -a, -um orig. *linksgrün*.

ECCE DONALDUS ATQUE MELANIA



**ECCE DONALDUS MARITUS ATQUE MELANIA UXOR
CIVIBUS AMERICANIS VALEDICENTES**



ECCE MELANIA UXOR DONALDI TRUMP
Hanc imaginem Leo Latinus addidit ne miseri viri solitarii mascis et quarantaenâ et
furore genderismi exclusi et obcaecati obliviscerentur, qualis esset aspectus feminae
formosae.

ROGERIUS KÖPPEL HELVETIUS DIURNARIUS QUID SENTIAT DE DONALDO TRUMP



Ecce ROGER(IUS) KÖPPEL Helvetius diurnarius: Trumpius et diurnarii. Quomodo factum sit, ut Trumpius meis aliquatenus sit medullis inclusus. Bidenii inauguratio. *Weltwoche Daily*, 21.01.2021 <https://www.youtube.com/watch?v=WD1fVbCBAHM>

„... (min. 03.10) Quidam GEORGIUS (Jürg) nobis scribit: ‚Tuam emissionem c.t. ‚Weltwoche daily‘, quandocumque possum, aspecto magnâ cum delectatione. Praesidem Trumpium cum post paucas horas sequetur eius successor Iosephus Biden, meâ quidem sententiâ opportunum est – fortasse tibi erit occasio hoc faciendi – tractare relationes, quas diurnarii de Donaldto Trumpio in Helvetiâ habuerunt his quinque annis, neque omittere annum certaminis suffragiorum. Quod sentio esse maximê necessarium, nam istae relationes a primis initiis maximam partem fuerunt graves, unilaterales, malevolae, praeiudicatae, iniquissimae. Diurnarii enim numquam decreta Trumpiana etiamsi nullo modo reprobabilia singillatim sine irâ et studio aestimaverunt et recensuerunt. Iidem ab ovo usque ad mâla nihil fecerunt nisi gregatim homines in Trumpium instigaverunt. ‚Nonne etiam a munere possunt suspendi (impeachment) isti diurnarii, quia talia referant?‘ – Bene, care Georgi, nobis proponis rem magnificam – reverâ iusto meritoque a munere suspendendi essent

auctores istis nuntiis falsatis diffamantes. Hoc certê magis consentaneum esset quam ista altera suspensio quae nunc incohata est, qua îdem a munere suspendatur, quod non iam habet. At timeo, ne non invenias sat multos, qui tibi assentiantur diurnarios a munere suspensuro, sive in parlamentis helveticis sive americanis. Tamen rectê iudicas. Istud autem in hōc spatio muneris Trumpiani mihi visum est phaenomenon maximum maximeque terribile: diurnariorum unilateralitas integra nulloque modo mutabilis aut moderabilis. Hoc inceptum est fieri, cum Trumpius declararet se candidatum esse et perrectum est per spatium muneris sui totum. Diurnarii eius imaginem finxerunt, quae nullo modo congruere posset cum rerum veritate. Nam nullus homo nullas alias qualitates habet nisi malas. Talis homo non exstat. Homo non aptus est ad tantam uniformitatem, neque bonam neque malam. Itaque tales narrationes Trumpianae non poterant esse vera. Necnon diurnarii Helvetii eadem falsa scripserunt quae scripserant ceteri.



Ut exemplum afferam: Diurnarii „Speculi“ Hammaburgensis horrei nuntiorum Germanici brevi post suffragia confecerunt imaginem titularem, in quâ Trumpius monstratur more homicidae Civitatis Islamicae (ISIS) unâ manu tenens machaeram cruentam, alterâ caput statuæ Libertatis amputatum. Nunc animo finge istud!

His diebus quidam delegatus congressûs Donaldum Trump comparavit cum *Osamâ bin Laden*.



Thomas Friedman, illustris columnista ephemeridis *New York Times*, hanc comparisonem monstruosam – quâ Donaldus Trump aequiperatur Osamae bin Laden – in CNN statione televisificâ etiam ingravit eo quod dixit istos Trumpii assectatores cultum colentes Trumpianum, tales esse, quales essent assectatores Osamae Bin Laden, itaque istos esse nunc quodammodo deprogrammandos sive reeducandos, tamquam temptatos abductosque ad viam rectam esse reducendos. Deinde îdem Friedmanius cives Americanos, etiam republicanos, comparavit cum muslimis moderatis, qui non ausi essent surgere contra Osamam bin Laden – id est contra Trumpium, quia alioquin impetum passi essent violentum »tromocratarum domesticorum«, id est illorum cultui Trumpiano deditorum.

Quid dicam talibus descriptionibus Trumpii absurdissimis obstupefactus? Verba mihi desunt. Incredibile dictu! Necnon incredibile est istos ipsos, qui Trumpium dicant esse similem Osamae bin Laden, adversariis suis obicere, quod sint instigatores hominum suamque factionem esse affirmant factionem decoris atque elegantiae. Nam Thomas Friedman prorsus non animadvertit se ipsum id facere, quod Trumpium facere ex quattuor iam annis vituperat. Inde autem clarê patet istam imaginem ficticiam, quâ Trumpius fingatur vir pessimus et atrocissimus et democratae sint homines boni, sint matres Theresae, sint theloboni (*Gutmenschen*) – istam imaginem omnino non quadrare. Videmus in Civitatibus Unitis esse duas factiones graviter inter se differentes. Itaque Trumpii electio eiusque munus praesidiale potius fuit symptoma huius dissidii societatis quam causa. At diurnarii nullo modo studuerunt hoc phaenomenon perscrutari. Loco talis perscrutationis diurnarii de Trumpio eiusque electoribus

scribebant nimiâ cum levitate atque arrogantiâ, quod mihi semper videbatur democratiae contrarium esse.

Hôc autem loco liceat mihi confiteri: Iste Donaldus originaliter mihi nequaquam eximiê placuit, illo tempore, quo fuit negotiator immobilium praedives, histrio spectaculo televisorio illustrissimus c.t. „*The Apprentice*“, necnon illo tempore, quo factus est candidatus suffragiorum, primo mihi visus est parum valere.



**»DIMISSUS ES!« DONALDUS PERSONAM GERENS
SERIEI TELEVISORIAE, C.T. »The Apprentice«**

At in processu istius calumnationis absonae et hystericae, intra spatium muneris praesidialis, hic Donaldus Trumpius mihi ita obhaesit, ut nunc sit meis medullis inclusus. – Ita est, doleo, si displicet, hoc nolueram. Si quis est vapulo*, id est solet ab omnibus mulcari, equidem non possim, quin eum aliquatenus diligam. Sed nolo nunc modum excedere in hac caritate meâ describendâ. Sed – fortasse vobis interdum similiter fit aut in scholâ factum est: Ibidem si in aulâ pausariâ omnes in unum invehebantur, nonne vos commoti estis, ut condiscipulum in angustias adductum aliquo modo adiuvaretis, ne etiam vos insereretis ordini persuasorum et iustorum et indignatorum et iustitiâ propriâ affectorum? Itaque istis calumniis perodiosis, istis instigationibus phreneticis paulatim gratior atque iucundior mihi fiebat hic homo et vir politicus, qui mihi originaliter minus placuerat. Hoc animadverti, et hoc hodie etiam recordor.

Fac animo fingas qualia et quanta hic Donaldus Trumpius eiusque familia his quattuor annis perpessi sint. Scilicet me scire malo arboris

* +vapulo, -ōnis m. theod. *Priigelknabe*.

nodo infigendum esse malum cuneum. Tamen respice, quae et quanta is vir passus sit.



**ECCE GRYLLUS ANTI-TRUMPIANUS:
collusio Putini catti Donaldique muris ficticia
theoria conspirationis mendacissima.**



**Ecce diffamatio incredibiliter insulsa et obscaena:
indiciis falsatis ultro confictum est Donaldum in deversorio
Moscuensi perversâ lubidine inductum optasse, ut scorta
in lectum suum mingerent.**

A primo iam die Donaldum non solum diurnarii persecuti sunt, sed etiam magistratûs rei publicae suae. Eo viro vix praeside facto efficta est et divulgata theoria conspirationis absurda, quâ dictitabatur eum esse proditorem nationis suae a Putino telemoderatum, necnon additus est libellus infamis et insulsus et obscaenus, qui effictus est ab

speculatore, cui merces indirecte data est a grapheo certaminis suffragiorum, cui moderabatur *Hilaris Clinton*. Hae sunt res verè factae, haec non est theoria conspiracy, ita factum est. Deinde investigatio facta est per tres dimidiumque annos, ab investigatore speciali, sumptu 48 milionum, denique tota accusatio, totum crimen funditus refutata evanuit! At relationes stationis televisificae CNN aspectanti Trumpius mihi semper videbatur in periculo versari, ne proximo momento temporis a vigilibus publicis in custodiam abduceretur. Quasi dixissent: *„En nunc habemus istum deprehensum!”* – Utcumque iudicas de hōc viro politico, oportet scias eum esse politicum nullo modo typicum, esse virum segregem. Omnino non intellego, quomodo Trumpius istaec omnia passus sit. En quantas insidias! Quantas simultates! Etiam si ipse quadam ex parte propriis dictis factis tales molestias effecit – quod nolim excludere. At onera tulit haud pauca. Nunc autem veniamus ad alteram rem memoratu dignam. Omnes ferè inter se consentiunt dicentes: *„Donaldus Trump propter indolem suam moresque suos omnino non aptus est ad hoc munus gerendum, nam iste est horribilis Narcissus, horribilis sui ipsius amator et admirator”*. At ridiculum est hanc thesin affirmatam esse a *Rogero Schawinski*, diurnario Helvetio, qui ipse nequaquam est exemplum modestiae et altruismi. En tales hypocritas vitia aliorum castigantes, quibus affecti sunt ipsi.

At omnes inter se consentiebant – et ego quoque hoc iam dixi subito opinione gregali persuasus – Trumpium esse egotistam ingentem. At nunc non certo scio, num hoc reverè conveniat. Is vir cum iter faceret per procellas et grandines chalybeias et summā operā datā reverè id effecit, ut res sibi succederent prosperè, hoc non assecutus est sōlo amore sui ipsius. Necesse est talem hominem commoveri idealismo et patriotismo. Eius dicta facta opera non possunt tantummodo explicari egotismo. Si quis tantis renititur resistentiis, necesse est pluribus causis moveatur quam amore sui ipsius. –

Nunc veniamus ad rem tertiam tractandam. Donaldus Trumpius cum eligeretur, vitam habuit perfectam. Qui nequaquam debuit fieri politicus, ut acciperet opes et auctoritatem. Qui non accessit ad rem publicam, ut faceret cursum honorum lucrosam. Trumpius illo

tempore erat vir multis gratus – actor televisorius incredibiliter celebratus, apparuit difficultates negotiationis oeconomicas annis




EN DONALDUM PATREM ET MELANIAM MATREM CUM FILIIS FILIABUSQUE

nonagenariis exortas ab eo superatas esse – opulentus fuit, uxorem habuit pulcherrimam – familiam – quantum de hac re iudicare scimus – integram. Non debuit accedere ad rem publicam. Quid fuit, cur eligeret vitam politicam omnium difficillimam eo quod adversatus est politicis Vassintoniensibus iam pridem potentissimis – non solum democraticis, sed etiam republicanis necnon diurnariis? – Quidcumque ei obicimus – Donaldus sibi proposuit – ut ita dicamus - iter montanum omnium difficillimam et molestissimam. Idem quodammodo montem octo milia metrorum altum ascendit sine apparatu oxygenii – idque fecit, quia ei persuasum erat sibi faciendum esse hoc iter laboriosissimum, ut assequeretur id in quod crederet. En videtis etiam in hac re oportere, ut explicationes psychotherapeuticae nimis simplices redigantur ad rerum veritatem. –

Nunc autem praesidentatu Donaldi Trumpii transacto heri audivimus Iosephum Bidenium novum praesidem de triumpho democratiae orationem viginti minutarum habentem maximê grandiloquam, in quâ parum accuratê explicavit, quidnam studeret assequi in re publicâ gubernandâ. Se dixit fore societatis sanatore[m] discordantiumque reconciliatore[m] et adiutus est a coronâ hominum ex urbe Aquifolieto* importata, qui sentiunt nunc assectatores Trumpii cultui Trumpiano deditos esse reeducandos, immo deprogrammandos.

* *Aquifoliētum*, -ī n. orig. *Hollywood*.



ECCE IOSEPHUS BIDEN INTER SOLLEMNITATEM INAUGURATIONIS ORATIONEM HABENS

Dictum est de tromocratis domesticis, eqs., eqs., id est iidem homines, qui pergunt Trumpianos daemonizare, dicunt se esse discordantium reconciliatores. Nescio autem, num contingat, ut discordantes terrae reconcilientur, et septuaginta quattuor miliones electorum Trumpii novae gubernationi faveant eo quod iidem Trumpiani in suspicionem vocentur instigationis atque tromocratiae. Bidenius autem dixit democratiam vicisse. Quid îdem nunc facturus est? Nescimus. Verisimile est eum vectigalia aucturum esse, deregulationem Trumpianam deminuturum, fortasse denuo bella gerere incipiet – fortasse haec faciet. Fortasse murum meridionalem deminuet. Iam decem milia migratorum Americae mediae profecti, iam interrogati dixerunt se velle in Civitates Unitas immigrare, quia Bidenius sibi promisisset se posse illuc venire. Nunc iisdem dictum est aliquantulum in meridie exspectandum esse, nondum inter festum inaugurationis omnes posse intro venire. Sed iam multi exspectant in limite stantes.

Itaque diligenter observabimus, quonam modo res publica Americana mutetur. Nunc praedicantur ‚libertas personalis, ius sui ipsius regendi, oeconomia mercatoria’. Placet mihi obstupescere re novâ opinione meliore. Lêgi vitam Iosephi Bidenii ab *Evano Osnos* scriptam. In fasciculo ephemeridis “*Weltwoche*” recentissimo inest existimatio

huius libri biographici a *Iohanne Rudolfo Kamer* scripta. Et haud parvi pendo Iosephum Bidenium, qui vitam degerit non levem commodamque, sed gravibus infortuniis afflictam. Scilicet eum esse politicum typicê professionalem. Necnon exopto, ut is promissum suum ad effectum adducens dicat: *‚Ego sum Iosephus Bidenius lepidus et humanus, cives nullo modo instigans, sed placans atque reconcilians.‘* At si hoc vult, necesse est Bidenius ipse desistat a sermone invectivo Bideniique factio se absolvat ab istâ iustitiâ propriâ necnon a suâ superbiâ morali, quâ cum aliis tum maximê eo apparet, quod Trumpius dicitur conflasse seditionem.

Reverâ autem in Civitatibus Unitis sunt multi homines parum contenti condicionibus societatis; necessarium est, ut gubernatio graviter studeat curis eorundem hominum levandis. Itaque nos e sede nostrâ quamvis humili Iosepho Bidenio exoptamus optima quaeque. Nam ea quae fiunt in Civitatibus Unitis, permultum valent etiam ad partem mundi reliquam. Si autem Civitates Unitae bene se habent, hoc prodest etiam Helvetiae et Europae. ---- (18.05 min)

**THEODISCE DIXIT
ROGERIUS KÖPPEL
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS**

CHRONOGRAMMATA PATRIS HERBERTI DOUTEIL BRASILIENSIS

Zum 21. Januar, dem **Fest der heiligen Agnes:**

2021* Agnes pIa et MarIa Mater IesV, orate pro totIs nobIs paVperIbVs! –
Fromme Agnes und Maria, Mutter Jesu, betet für all uns Arme!

Zum 21. Januar, dem **Abschied von Trump als Präsident der USA:**

2021* TrVMp MVnVs VItae – Trump war ein Geschenk für den Lebensschutz.

Zum 20. Januar, dem **Abschied von Trump als Präsident der USA:**

2021* TrVMp MVnVs VItae – fiat justitia: Trump war ein Geschenk für den
Lebensschutz - trotz seiner oft unmöglichen und völlig undiskutablen Art eines
übersteigerten Egomane in vielen anderen Bereichen!

CHRONOGRAMMA IOHANNIS DEMMING ANTI-TRUMPIANUM

Dreifacher Seufzer der Erleichterung am 20. Januar 2021

DENIQVE

FRAVDATOR TRVMP

REVERA ABEST

IO

DEGENER

MENDAX

FVGATVS

HOMO

SORDIDVS

INSIPIENS

EXIIT

*Endlich! Trump der Betrüger ist wirklich weg. Hurra, der degenerierte Lügner ist
verjagt. Der dumme Dreckskerl ist ausgezogen. **hdf***

ECHUS VOCES SENTENTIAE

Leo Latinus

**Iohanni Demming maxime honorabili
artifici chronographo et histrioni et dialectologo
sal.pl.dic.
s.v.b.e.e.v.**

Iohannes chronographe carissime,

gratias semper tibi ago multas pro chronogrammatis tuis artificiosissimè confectis et libenter eadem divulgo in Epistulis Leoninis.

Sed una res est ars tua admirabilis et laudabilis, alia res est sententia, quam proferre soles de Donaldto Trump praeside quondam Civitatum Americae Unitarum. Illam cum maximè laudem, hanc - ut verum confitear - puto parum esse consideratam et moderatam, nimium unilateralem et praeiudicatam. In hac enim re tu bone Iohannes - liceat hoc pace tuâ dixerim - mihi potius videris esse accusator calumniis rumoribusque instigatus quam censor aequus et iustus.

Rogo te, ut audias verba *Rogeri Köppel* Helvetii diurnarii quem ego puto de Donaldto iudicare iustius atque moderatius. Deinde audias, quaeso, verba *Ludovici Dobbs* diurnarii Americani, quae spectant ad Baraccum Obamam priorem praesidem Americae, quem diurnarii nostri semper hymnice praedicabant quasi esset Salvator Mundi (iidem diurnarii, qui ne unum umquam verbulum bonum et moderatum de Donaldto dixerunt, sed eundem semper aut maccum stultissimum aut satanam mundum destructurum esse contendunt (nonne istaec est contradictio? Satanas apparet esse sagacissimus, minime stultus). Miraberis - etiam de Obama non omnes idem sentiunt. AUDIATUR ET ALTERA PARS !

(A) Weltwoche Daily, 21.01.2021: ROGER KÖPPEL: Trump und die Medien. Warum mir Trump irgendwie ans Herz gewachsen ist. Bidens Inauguration.

<https://www.youtube.com/watch?v=WD1fVbCBAHM>

(B) LOU DOBBS: The Obama legacy has become one of shame

<https://www.youtube.com/watch?v=sr0Tee0YA4s&list=PLIyqitLL16Z57JfK-DBRF6mEP8sfqdPI0&index=72>

(C) LOU DOBBS: Dobbs calls on Trump to declassify 'Obamagate' documents

<https://video.foxbusiness.com/v/6222655252001#sp=show-clips>

Eorum verbis auditis fortasse fieri poterit, care sodalis studiorum humaniorum, ut moderatius et consideratius disputemus de Donaldi vitiis et virtutibus, de eius meritis et peccatis. Nam nullus umquam homo perfecte bonus est, nullus etiam perfecte malus - nonne ita est?

Scilicet tamen chronogramma tui anti-trumpianum a me divulgatum iri. Nam in ista quoque tempestate rerum libertati adversissima saltem in Epistulis Leoninis utinam ne tollatur ius sententiam suam - etsi parum rectam - libere dicendi.

Panratice vale, mi Iohannes carissime, et perge mihi favere.

Medullitus te salutat

LEO LATINUS

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM VICESIMAM QUARTAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**ECCE DONALDUS NOBIS VALEDICENS –
NONNE EST REVENTURUS?**

Die Dominicâ, 24. m.Ian. a.2021

Dr. Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae